



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Beatudinem & foelicitatem animarum consistere in visione Dei ac filij eius
Iesu Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

ingressus es quoad fieri potest, maximè securum & tutum reddere velit. Enita etiam ex parte tua omnia pericula quæ se tibi obijciunt, & illos modos amplectere qui tibi adiumento esse possunt, quo facilius ad Iesu sponsi Domini & Saluatoris tui perfectam visionem & contemplationem peruenire queas.

VT VIDENTES IESVM.

Beatitudinem & foelicitatem animarum consistere in visione Dei ac filii eius Iesu Christi.

CONSIDERATIO.

IN Euangelio legimus Gentiles & extraneos, qui Ierosolymam adorationis causa profecti fuerant, tam bonam de Christo in hoc mundo conuersante opinionem coepisse, vt plures ex illis ingentium videndi & cognoscendi desiderio flagrarent. Quo factum est vt quidam Philippum accesserint dicentes: *Volumus Iesum videre.* Zachaus

chæus Princeps publicanorum, tanto ardebat desiderio Iesum conspiciendi, ut eum propter staturæ breuitatem impediretur ne illum cerneret, in arborem ascenderit quo desiderij sui compos efficeretur. In historijs Ecclesiasticis legimus Regem Abagarum ad Christum literas dedisse, quibus illum rogabat ut ad aulam suam veniret, se namque ex illius conspectu incredibilem voluptatem percepturum.

Quod si gentiles talem ex aspectu Iesu Christi, cum adhuc in corpore mortali ac passibili degeret se voluptatem consequuturas sperabant: quale gaudium, qualem exultationem sentient anime, quando eum in coelesti Paradiso immortalem atq; impassibilem contuebuntur? Quando Christus in monte Thabor transfiguratus est, exiguam tantummodo scintillam gloriæ suæ manifestauit. *Facies eius, inquit Evangelista, resplenduit sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Et tamen ex illius dantaxat

Voluptatis illius magnitudo. quæ ex Christi glorificatione conspecta beatissimam haurient, declaratur.

Matth. 17.

K 7 Specta

aspectu Petrus extra se raptus, atque omnium terrenarum rerum oblitus exclamauit dicens: *Domine bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyfi unum, & Helia unum.* Hic Apostolus Petrus exiguum modò claritatis Iesu Christi radium cernebat, qui tamen tanta illum voluptate atque gaudio delibutum reddidit, ut nihil ultra desideraret.

Quid verò nunc dicet, cum eum in splendore suo contemplatur? Iesus Christus in coelis est & sedet ad dexteram Dei Patris, tanquam is cui omnis potestas collata est, in coelo & in terra, quemadmodum ipse in abitu suo ex hoc mundo, cū coelos ascensurus esset, contestatus fuit. *Humiliauit enim semetipsum, ait S. Paulus: & propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.*

ris.

tris. Hinc ille glorificat & beatificat
 Ecclesiam triumphantem: hinc re-
 git & sanctificat Ecclesiam militan-
 tem: hinc Prælatos & Pastores in-
 stituit: hinc Reges & Principes cō-
 firmat: hinc inferos moderatur, &
 vniuersa quæ cœlo & terra conti-
 nentur legibus suis temperat. Præ-
 lati enim Ecclesiastici & Presbyte-
 ri, nihil aliud sunt quam illius vi-
 carij. Quando baptizant, ipse prin-
 cipaliter est qui baptizat. Quando
 absoluunt, ipse principaliter est qui
 absoluit: quod etiam de alijs sacris
 officijs sentiendum. Reges autem &
 Principes mundi locum illius obti-
 nent, atque auctoritatem omnem
 qua pollent ab ipso habent, quate-
 nus Deus est & quatenus homo: ita
 vt de se iustè dicere possit: Per me
 Reges regnant, & legum condito-
 res iusta decernunt.

Qualis igitur, Anima fidelis, illa
 voluptas erit, videre maximum &
 potentissimum mundi Monarcham
 in throno regio sedentem, circum-
 stantibus, honorantibus, atque ser-

uantibus.

uentibus ei Angelis Archangelis
atque vniuersa coeli curia? Profecto
animæ quæ tantum bonum ad præ
fuerint, beatissimæ ac ter foelices e-

*Anima cum
in cælum à
Christo in-
troducenda fu-
erit quanti-
bonis deco-
randa sit.*

runt. Coelestis hic rex quando eas
in baptismo sibi desponsauit, de-
dit eis annulum fidei veste charita-
tis vestiuit, ac virtutum atque dono-
rum sancti Spiritus ornamentis il-
las decorauit. Sed quando eos ad
donum Patris sui suscepturus est,
tum dotem illorum amplificabit,
tum immortalis gloria illas orna-
bit, ac secum in omnem æternitatem
regnare faciet. Tunc fides illarum
in gloriae claritatem, ac spes in boni
sperati certam possessionem immu-
tabitur, charitas verò ita perficie-
tur, vt illas eum Deo inseparabili
vniione coniungat, & gaudio quo-
dam incredibili ac nunquam fini-
endo completa Iesus ad discipulos
loquens ait: *Hæc est vita æterna, vt
cognoscant te solum Deum verum, &
quem misisti Iesum Christum.* Hæc
autem visio tunc implebitur, cum
omnia in vitam illam beatissimam

intro-

introducetur, quando Deum Patrē
& Filium, & Spiritum sanctum cō-
templabitur, ac omnibus bonis vo-
luptatibus, & honoribus quæ con-
cupisci poterunt perfruetur. Quia
igitur illi qui, honores ac dignita-
tes & altitudines amant, ad regna
& Monarchias terræ ac maris an-
helant: quibus diuitiæ placent, in-
gentes auri atque argenti aceruas
accumulant, qui voluptatibus &
oblectamentis sensuum delectan-
tur, illas toto conamine quærant,
atque illis se totos inebrient, nun-
quam tamen expleri, atque ad desi-
deriorum suorum quietem perue-
nire poterunt.

*In bonis re-
venis nulla
quies aut
satietas.*

Cor nostrum ô Deus, ait S. Augu-
stinus semper est inquietum, quous-
que requiescat in te. Et Psalmista.
Satiabor eum apparuerit gloria tua.
S. Paulus Apostolus, qui Dei secreta
intuitus est ut idem de se meipso te-
statur, dicit se *omnia arbitratum fu-
isse ut stercora ut Christum lucrifa-
ceret.* Quid agunt igitur tam multæ
animæ Diaboli dolis circumventæ
atque

*Exhortatio
ad desiderandum Ie-
su Christi
aspectum.*

atque illusa? quibus rebus cor suum applicant? cur non ingenti spōsum suum Iesum videndi cupiditate flagrant? cur ad eum totis desiderijs non anhelant? cur non quærunt illum cum sponfa de qua in Canticis sermo est? Nunquid non ipse est omnium speciosissimus, omnium nobilissimus, omnium opulentissimus? Nonne ille est de quo scriptū est, quod Angeli desiderent *in faciem eius prospicere*? Nonne ille est in cuius domo *gloria & diuitia sunt*.

Regina Saba cum auditu accepisset gloriam & sapientiam Salomonis, tanta illius cernendi cupiditate accensa fuit, vt relicto regno longum ac difficile iter inierit, quo eū inuiseret, ac desiderato illius aspectu frueretur. At Iesus Christus Rex cœlestis nonne Salomone gloriosior ac opulentior est? Cur igitur animi hominum illum videre non sciant? cur patriam suam, hoc est rerum caducarum & transitoriarum affectiones non deserunt, vt eum contemplantur, qui solus stabilia

bilia

bilis & permanentia bona largitur?
 Tu vero, Anima pia, foelix & beata
 es, quod desiderio Iesu Christi spon-
 si & Dei tui, conspiciendi ardeas.
 Perge igitur huius sancti desiderij
 tui adimpletionem postulare, roga
 ut ventus Spiritus sancti, ita vela
 nauigij tui inflet, ut omnia maris
 huius mundi pericula & discrimi-
 na superare valeas.

Atque ut hoc facilius impetres, *Pro eterna*
 manum remis admoue, exerce te in *felicitate*
 pijs & sanctis actionibus: aduersa *consequen-*
 tates omnes patienter sustine. Si e- *da quæuis*
 nim ait D. August. quotidie oportet *aduersita-*
 ret nos tormenta perferre, si ipsam *tes toleran-*
 gehennam paruo tempore tolera- *da.*
 re, ut Christum videre possimus in
 gloria venientem, & sanctorum e-
 ius numero sociari, nonne dignum
 erat pati omne quod triste est, ut
 tanti boni, tantæque gloriæ parti-
 cipes haberemur? Iam vero Chri-
 stus non exigit à te ut talia patia-
 ris, vult tantummodo ut præcepta
 illius custodias, & ea ad quæ iuxta
 statum & vocationem tuam obli-
 garis,

garis, adimpleas, promittit tibi o-
pem suam: Quapropter fac quæ ip-
se postulat, atque auxilium illius
non respue, sic enim faciliori nego-
tio ad portum salutis appelles, ubi
Iesum sponsum tuum contemple-
ris, atque cum eo semper collate-
ris.

SEMPER COLLAETE-
MVR.

*De gaudiis quibus fruuntur Beati in
cœlesti Paradiso.*

CONSIDERATIO.

BOELICITAS hominis,
Anima Christiana, latè
accepta, non modò con-
sistit in clara visione Dei,
sed etiam in fruitione ac gaudijs
quæ hanc visionem comitantur. A-
nima quæ contemplatur, Deum at-
que ipso ac gloria illius inseparabi-
liter perfruitur, tam ingenti volup-
tate atque exultatione complebi-
tur, ut ebrizæ similis futura sit, quod
Psalmista testatur cum sic Deum al-
loqui-